

SI. ibo ad eum atque ēadem haec quae tibi dixi dicam 20
idem illi.—*DA.* nullu' sum.

600 quid causaest quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?
nil est preci loci relictum : iam perturbavi omnia :
erum fefelli ; in nuptias conieci erilem filium ;
feci hodie ut fierent, insperante hoc atque invito Pamphilo.
ēm āstutias ! quod si quiessem, nil evenisset mali. 25

605 sed ēccum ipsum video : occidi.
utinam mi[hi] esset aliquid hic quo nunc me praecipitem
darem !

P A M P H I L V S D A V O S

v

PA. Vbi īllīc[e]st scelu' qui perdidit me? *DA.* perii. *PA.*
atque hoc confiteor iure
mi obtigisse, quandoquidem tām iners, tam nulli consili sum.
servon fortunas meas me commisisse futili !

610 ego pretium ob stultitiam fero : sed inultum numquam id
auferet.

DA. posthac incolumem sat scio [fore] me, nunc si devito 5
hoc malum.

PA. nam quid ego nunc dicam patri? negabon velle me,
modo
qui sum pollicitu' ducerē? quā aūdacia id facere audeam?
nec quid nunc me faciam scio. *DA.* nec mequidem, atque
id ago sedulo.